

## DE RELIGIONE NATURALI ET SUPERNATURALI.

Prof. S. Zimmermann

(Continuatio)

b) Hic necessitatem sentimus declarandi quosdam conceptus qui familiares sunt in libris manualibus nostris, tamen fundamentalem significationem secumferunt pro magni momenti quaestionibus, de quibus tardius disseremus.

Sensu latiore religio comprehendit omnes virtutes, quibus homo ad Deum dirigitur, v. gr. commiserationem, obedientiam, amorem — ex motivo religionis. Sensu strictiore (licet formaliter designet habitum voluntatis) religio pertinet ad intellectum, nam in eo fundatur veneratio Dei sub aspectu Ejus excellentiae (super omnia, qua fons et finis). Ratio distinguit actus, quibus Deum colimus. Si religionem ut actus et habitus cultus divini sumimus, isti sunt religio sensu subjectivo. Congeries veritatum et obligationum seu mandatorum (qua proximum fundamentum et norma cultus divini), in qua includitur connexio cum Deo (qua remotius fundamentum et norma), efficit religionem sensu objectivo. Objectiva propterea est, quia independenter a subjecto vera est: non enim arbitrio nostro »colere« possumus; tunc enim nulla distinctio inter falsum et verum cultum adesset.

Sensu objectivo religio naturalis una est. Objective vera dicitur, quatenus continet veritates et obligationes, quae ex relatione naturali ad Deum deducuntur (quae necessario ex ordine reali emanant). Religio naturalis innititur essentiali (ontologicae) relationi hominis ad Deum, fundamento esse creati. Jamvero 1) unus est Deus creator et aequalis est natura hominis, 2) aequalis est facultas rationalis pro omnibus hominibus et una est creatio, quam omnes cognoscere possunt. Id est: unum est objectum harum veritatum (religionis objectivae) — realis relatio esse creati et finalitatis — et unum subjectum, quod cognoscit. Creator et homo secundum essentiam sunt immutabiles: propterea etiam religio naturalis, quae

in essentiis fundatur. Cum hisce fundamentis religio universaliter connectitur.

Naturalis est obligatio ad religionem ideo, 1) quia Deus est dominus hominum (qui coli debet) et benefactor (cui gratiae agenda sunt); ulterius 2) Deus est finis, objectum felicitatis (beatitudinis), ad quam homo natura dirigitur, quapropter homo debet agnoscere felicitatem esse in Deo, debet voluntate cum summo bono convenire, illud laudare et ab eo auxilium petere (id autem praecise est religio). Haec obligatio omnino legitima est: essentia hominis (nempe eius dependentia) et essentia divina (supremus fons et finis) religionem expostulant; quidquid autem essenziale est, id Deus ut legislator ordinavit. Homines sciunt se religiosos esse debere. Obligatio ad religiositatem est absoluta, i. e. fundatur in essentia Dei et hominis. Haec obligatio ad veram religionem pertinet, quae — quantum a positiva Dei ordinatione abstrahatur, naturalis est. Religio est recta (vera), cum concordat cum objectiva realitate (ordine) vel cum convenit cum essentia divina et humana. Falsa est, cum ab norma (creatura-Creator) discordat. Religionem naturalem id efficit, quod ex creatione deduci potest: ex natura Creatoris et creaturae. Venerari Deum quatenus est principium et finis naturae, id est religio naturalis.

Solent dicere de religione naturali eam esse solummodo possibilem, non realem, nam »de facto historice existebat singularis specificae positiva relatio inter divinitatem et genus humanum« (Padovani). Philosophia religionis debet examinare factum reale, non vero »rem abstractam«, qualis sit religio naturalis. »Ipsa theoretice (speculative) ad philosophiam religionis reducitur«.

Hanc opinionem non rectam esse censeo. Distinguendum est: religio naturalis non est realis, quatenus Deus hominibus non imposuit, ut tantummodo naturalem religionem haberent — concedo; non est realis quatenus non sit inclusa in religione supernaturali, ita ut cum ista simul existat — nego. Non est ergo naturalis religio quaedam abstractio absque fundamento reali. Quantum relatio inter divinum et humanum in diversiformis historicis etiam positiva erat — innixa auctoritati et traditioni — hocce non excluditur »naturale« elementum, i. e. rationalis conceptus divinitatis. Et si hic conceptus falsus fuerit, tamen in una re rectus erat, nempe in idea divinitatis.

Si non ita esset, non posset dici factum universale religionis fundatum esse in natura rationali hominis.

Quidam aiunt religionem tunc naturalem vocari posse, si Deus homini tantummodo illa bona dedisset, ad quae jus habet per creationem, et si homini tantummodo illas obligationes notificavisset, quae lege naturali continentur. Homo esset in relatione naturali erga Deum, si solas vires naturales possideret. In hoc casu Deus in tali relatione ad hominem esset, ut ordinatio finalis hominis esset tantummodo naturalis, i. e. consisteret in felicitate seu unione cum Deo in hac et vita futura per cognitionem et amorem, ad quae homo sua ratione et voluntate habilis redditur. Ex revelatione tamen scimus rem non ita se habere, sed Deum ordinavisse finem supernaturalem, quapropter religio naturalis non datur, sed sola supernaturalis existit.

Haec conclusio potest esse obscura et falsa. Licita est solummodo haec deductio: si existeret sola naturalis realitas (relatio creationis), existeret et sola religio naturalis; tamen non existit haec sola realitas, ergo non existit sola religio naturalis (sed etiam realitas supernaturalis et religio supernaturalis). Ex eo, quod non existat sola (unica) realitas naturalis, non sequitur religionem naturalem nullimode existere: nam haec realitas naturalis existit etsi simul supernaturalis realitas existat. Tunc tantum deneganda esset nobis existentia religionis naturalis, si realitas supernaturalis incompatibilis cum realitate naturali esset (si eam excluderet); eo tamen, quod Deus deciderit dare homini vires supernaturales pro fine supernaturali, ordinavit quidem religionem supernaturalem, attamen ex illa non excludendo religionem naturalem, quae ex realitate naturali dimanat, quamque realitatem homo cognoscit ratione, i. e. cognoscit Deum excellentissimum principium et bonum suum (finem) respectu ad omnia, quae creata sunt. Logice licet dicere: non existit sola religio naturalis, verum etiam supernaturalis, i. e. simul existunt. In quali relatione?

Religio naturalis (objective) includitur in supernaturali ut hujus praesuppositio. Ambas distinguimus cum fundamento in re. Quantum homo sola ratione cognoscit Deum, potest cum auxilio supernaturali Dei (gratiā) fieri supernaturaliter religiosus. Ratione etiam religiones falsae productae sunt, tamen et ipsae religiones sunt (cultus divinus), immo et

supernaturaliter bonae in actibus voluntatis, conceptione realitatis (relationis ad Deum) tamen sunt falsae. Religio ergo habet et naturalem fontem suum non obstante supernaturalitate sua, i. e. elementa naturalia et supernaturalia simul in ea existunt. Secundum dicta non licet dicere religionem naturalem esse »vanam abstractionem«, cum ejus elementa existant in religione supernaturali.

Notum est ex apologetica (*Dorsch, Lercher, Tanquerey* . . .) positivam religionem fundari in actione, quae creationi superaddita est atque religionem naturalem supponit. Religio est supernaturalis quatenus Deus homini tribuit habilitatem quae ex natura ei non competit atque eum elevavit ad finem super omnem naturam (ad visionem intuitivam). Homo ab initio erat in statu supernaturali et a Deo ad supernaturalem religionem ordinatus. Haec tribus gradibus perficiebatur (patriarchali, mosaico et christiano). Etiam historice possumus distinguere religionem naturalem et supernaturalem: quod enim ad religionem naturalem pertinet, in supernaturali reperitur, ubi id qua partem constitutivam distinguere possumus. Religio naturalis non est legitima, quantum scimus Deum homines in ordinem supernaturalem elevasse. Non licet dicere Deum omnes homines (jam ipsa creatione) in ordinem supernaturalem evexisse — imponendo eis finem supernaturalem et gratiam sicque religionem supernaturalem —, et simul religionem naturalem legitimam esse, seu ipsam per se jus existendi habere. Id enim negationem ordinis supernaturalis significaret. Attamen religio naturalis et objective et subjective cum religione supernaturali connexa existit. Objective, nam veritates et praecepta naturalia in revelatione supernaturali continentur; subjective, nam homo potest naturaliter, ope facultatum suarum vitaliter experiri omnia elementa religiosa (cognitionem Dei et legem moralem naturalem et secundum hanc operationes morales et cultum), licet ipsi tota summa in revelatione contenta incognita sit. Tamen homo vitam religionis supernaturalis vivit, quantum in eo adest gratia supernaturalis; gratia autem non annihilat naturam, sed eam perficit, quapropter religio supernaturalis non supprimit ea quae sunt religionis naturalis. Religionem naturalem efficiunt essentiae reales (Creatoris et creaturae) et per eas »necessaria« voluntas Dei, dum ad reli-

gionem supernaturalem accedit »libera« voluntas divina: necessariam voluntatem divinam autem non potest libera dispositio voluntatis divinae destruere. Fundamentum religionis est excellentia divina homini manifestata, haec vero manifestatio in religione supernaturali eminentior fit (v. gr. Deus est et pater, non dumtaxat dominus). Religio naturalis in supernaturali ad instar animae sensitivae in homine adest. Religio supernaturalis est modus determinatus, quo homines secundum positivam ordinationem Deum cognoscere et colere debeant. Cui ergo innotuit Deum talem religionem revelasse, non licet sibi indifferentem erga eam manere, nam sic Deo obedientiam et reverentiam denegaret.

Respectu ad naturam humanam habito, necessum non erat ut Deus via revelationis historicae religionem determinaret (id ad ejus liberam dispositionem pertinet); Deus potuit relinquere hominem in solo statu creationis (in statu naturae purae), ubi homo ad Deum obligaretur solis iis relationibus, quae ex facto creationisveniunt et rationaliter cognosci possunt, quasque religionem naturalem vocamus. Deus reapse revelabatur; per Christum tandem in communicationem cum omnibus hominibus intravit, ut eos instrueret atque unionem cum ipsis super naturam creatam iniret. Ergo non apud solam naturalem religionem remansum est. Numquid id significat eam nullimode existere, — vel vero significat eam solam non existere? Solâ religio naturalis existeret, si existeret status naturae purae; cum tamen omnes in statu naturae elevatae simus, existit religio supernaturalis — itane, ut eo religio naturalis evanuerit? Certe non, nam id quod religionem naturalem efficit, non totum annihilatum est, sed supponitur ut fundamentum necessarium. Veritates et obligationes religionis naturalis non sunt suppressae eo, quod religio supernaturalis instituta est, sed ad ordinem superiorem elevatae sunt; quapropter in ordine supernaturali possumus etiam sub aspectu historico quasi duas partes distinguere, quarum altera comprehendit veritates et obligationes naturali et supernaturali religioni communes, dum altera veritates proprias religioni supernaturali continet. Omnes homines obligantur (objective) ad religionem supernaturalem, sed omnes id non sciunt; nemo tamen (qui bonum et malum discernere possit), invenitur in ignorantia quarundam veritatum et obligationum religiosa-

rum, v. gr. quod Deus existat, quod ipse sit noster iudex, quod ipse colendus et Ei serviendum sit. Hae veritates homini inotescunt, cum ad usum rationis pervenit. Relate ad has veritates, quas homo sanae rationis ignorare non potest, omnes homines naturaliter obligantur esse religiosi. Haec obligatio denotat necessitatem objectivam seu cognitum nexum necessarium inter certos actus et finem, qui consequendus est, ita ut oporteat aliquid agere vel non agere, ne assecutio finis frustratur. Haec obligatio ad religionem est absoluta, i. e. existit independenter seu ante deliberationem nostrae decisionis, qua nobis finem seligeremus. Deus hominem ex bonitate sua creavit et in decreto creationis finis noster includitur: participatio in divina bonitate («glorificatio»). Homini, qua creaturae rationali hic finis praeordinatus adipiscendus est; ejus naturalis tendentia ad veritatem et bonitatem finem in infinite perfecta veritate et bonitate obtinet. In ipsa ergo decisione creationis Deus homini Summam Bonitatem ut absolutum finem destinavit. Creator lumine rationis, praeter revelationem supernaturalem, istud decretum suum satis manifestavit (*Lercher*). Homines ratione utentes atque edocti habent ideam Dei, summi sanctissimique Domini et Moderatoris, cui voluntas subdi debet qua fini nostro, ita ut absolute obligata sit facere illud, absque quo finis ultimus perimitur. Ordinatio, qua Deus obligat homines, ut hunc ordinem custodiant (conservent) ejusque perturbationem prohibet, est pars legis aeternae; quatenus autem ipsa naturae humanae impressa et luce rationis cognoscibilis et notificata est, legis naturalis nomen induit. Religio (sensu largiore) comprehendit observationem totius legis naturalis, quantum a Deo imposita est. Qua virtus, religio omnium virtutum actionibus moderatur et ita totam vitam in cultum divinum convertit; quidam vero actus proprii sunt huic virtuti religionis (e. gr. cum reverentia grates Benefactori agendi, adorandi, implorandi, offensam deplorandi). In omnibus istis actionibus nexus cum fine nostro includitur, quapropter omnes homines absolute ad religionem tenentur. Obligantur ad observantiam legis naturalis, nam »luce rationis« sciunt dari actus et omissiones, quae conformes sunt rationali naturae hominis (totaliter sumptae) ita, ut contraria operatio gravem deordinationem legitimi ordinis signi-

ficaret. Ita homo Deum et Legislatorem naturae agnoscit, ei obedientiam exhibet et sic (sensu latiore) religiosus fit.

Ex praedictis sequitur: cogitare religionem naturalem ut per se solam existentem, esse fictionem; realiter enim existit religio supernaturalis seu nexus cum Deo fundamento personalis communicationis Dei cum homine. Talis communicatio est aliquid praeter esse creatum; id vero ob quod Deus intravit in communicationem cum homine, est supra illud, ob quod hominem creavit. Dando ei (in facto creationis) naturam rationalem, debuit Deus dare homini potentiam cognoscendi — idque mediante mundo creato —, quod Deus super omnia excellat et quod summum bonum finis vitae sit. Tamen Deus (ut per Christum revelavit) hominibus finem vitae super possibilitates naturales atque exigentias constituit, sicque et facultatem supernaturalem ad hunc finem adipiscendum. Sicut iste finis, sic et facultas a Deo libere (benevolenter) data est («gratia»). De Deo ut fine supernaturali et de nostra vita ad hunc finem habemus per Christum revelatas veritates. Id ergo est recta religio, ut vivamus secundum revelationem divinam per Christum, i. e. ut vivamus religione supernaturali. Numquid hoc modo extincta est nostra naturalis facultas cognoscendi et volendi Deum? Qui affirmaret religionem naturalem esse sufficientem atque nobis opus non esse religione supernaturali, ille profecto a vero aberraret. Verum tamen dicit, qui tantummodo affirmat religionem naturalem realiter existere — non extra vel praeter religionem supernaturalem, sed in ea, simul cum ea. Remanserat homini ratio, quae cognoscere potest veritates: Deus est Creator, infinite excellens, summum bonum, rector vitae, legislator; secundum has veritates autem potest homo Deo exhibere cultum, seu esse religiosus. Etsi Deus gratia supernaturali voluntatem in vita morali juvet, tamen huic fontem rationalem relinquit, quo homo Deum vere cognoscebat, et ita religiose vivebat. Secundum hoc elementum naturale religio in diversis formis historicis apparebat. Tandem per revelationem Christi hominis patuit tota religio supernaturalis, cum antea non perfecta esset. Reapse a revelatione primaeva (primo homini facta) valde parum remanserat ob defectionem etiam a religione naturali; verum tamen homo non modo defectionis capax erat, sed ratione (naturaliter) etiam veritates religiosas cognoscebat, et eatenus naturaliter religiosus erat. Cum hoc ele-

mento componente connectitur religio supernaturalis fundamento supernaturalis cooperationis gratiae divinae. Propterea religionem naturalem separatim (abstractivè) considerare possumus, id tamen non significat eam esse »vanam abstractionem« seu irrealitatem. Status naturae elevatae excludit statum naturae purae et propterea hic »status naturalis« est vana abstractio, tamen id de religione naturali non valet, quae realiter in religione supernaturali includitur. Ordo naturalis seu nexus hominis cum fine naturali non existit (secundum ordinationem divinam), sed Deus omnibus hominibus finem supernaturalem praeordinavit et in nexu cum isto eos in ordinem supernaturalem posuit; hisce non obstantibus dicendum est religionem naturalem in supernaturali religione existere — quatenus Deus ratione cognoscibilis est et quatenus Eum homo secundum legem naturalem colere potest.

5. Quod praedicta explicatio recta sit, ex notis conceptibus provenit. Naturale (consecutive) illud est, quod propriis facultatibus naturalibus assequi possumus. Intellectu possumus assequi id, ut quasdam veritates de Deo cognoscamus. Speciatim vero ut cognoscamus quasdam Dei ordinationes, quas voluntas observare debet (=lex moralis naturalis); inter has autem in primo ordine reperitur obligatio venerandi Deum, i. e. habendi virtutem religionis. Quantum ita ratione et voluntate cum Deo jungimur, habemus religionem naturalem. — Supernaturale (quoad substantiam) est illud, quod naturae proportionem internam ad finem supernaturalem tribuit, i. e. talem, quae non pertinet ad naturam (ipsi non est proportionata). Istud »supernaturale« nos »deificat«, proportionatos nos reddit cum bono divino visionis intuitivae et in hoc consistit communio cum natura divina. Gratia sanctificans est forma inhaerens animae, habitus substantialis, quo homo justificatur, fit filius Dei adoptivus, destinatus ad visionem beatificam (supernaturalem finem vitae). Ordo supernaturalis consistit in omnibus, quae hominem ad assequendum finem supernaturalem conducunt. Homo constitutus est in statu naturae elevatae, ut haec omnia possidere possit. Religio supernaturalis objective significat summam veritatum revelatarum, legis moralis reveletae et cultus; subjective vero significat actus adipiscendi finem supernaturalem hac via. (Causa horum actuum est voluntas et gratia supernaturalis). In possessione finis supernaturalis, quam



beati habent, objectum cognitionis est Deus quatenus »visus« est secundum naturam divinam (nempe secundum id quod est et sicuti est). Haec cognitio est »visio beatifica«. Secundum suam divinitatem Deus est objectum etiam fidei supernaturalis, non tamen ita, ut »videretur«, sed per veritates revelatas cognosceretur. Qua causam primam Deum cognoscimus per effectus (ratione, metaphysice); id infimum, tertium gradum cognitionis Dei efficit. In hoc gradu Deum cognoscimus qua summum bonum vel qua finem vitae: in hoc autem religio naturalis fundatur. Cognoscere, quod finis vitae extra Deum non inveniatur, aliud est quam cognoscere, quod homini (objective) a Deo finis supernaturalis praeordinatus sit.

Cum homo a bono supernaturali deciderit (in statu naturae lapsae), invenitur in statu ignorantiae et inclinationis ad malum, moraliter ipsi impossibile fit sine difficultate, sine dubio et sine errore omnes veritates naturales, quae ad rectam vitam instituendam exiguntur, absque speciali auxilio supernaturali cognoscere. Ita quoque non potest homo absque auxilio gratiae (saltem praeternaturalis) diu servare totam legem moralem; dum etiam absque gratia eam partialiter et ad breve tempus observare potest. Etiam *S. Augustinus* — de quo quandoque putant, quod nimis facultatem humanam circa bonum naturae diminuerit — in infidelibus quoque quaedam bona opera agnoscit: nam ne in iis quidem imago Dei penitus extincta est. Ubi autem bona opera naturalia adsunt, ibi eo ipso et religio naturalis adest. Re vera talia opera bona — in praesenti statu ignorantiae, malitiae, debilitatis, concupiscentiae — absque gratia vix adfuerunt et ex historia notum est, quantum vita pagana etiam legi naturali contraria erat; attamen eo non omnis (licet erroneus) conceptus divinitatis extinctus est, — et praecise in eo fons religionis invenitur. Sapientia divina praevidit futurum fuisse, ut homo, cum conscius propriae impotentiae pro bono ordinis naturalis evaderet, auxilium gratiae expetiturus esset, quod eum ad salutem conduceret. Ita religio naturalis debilitata religioni supernaturali alligatur. Cognitio sui ipsius fit fons humilitatis, venerationis et orationis, actionum fundamentalium culturae religiosae. Homo autem viribus naturalibus potest (negative) se disponere ad primam gratiam, removendo aliqua impedimenta (peccatum et duritiam cordis). Protestantes (et quidam theologi) putant naturam lapsam

nihil boni absque gratia actuali efficere posse. Licet certum sit eam id posse, tamen quaestio fit, num de facto absque gratia supernaturali homo opera bona ponat. Verumtamen per hanc gratiam praevenientem talia opera non desistunt esse naturaliter bona; transitus enim (mutatio, conversio) ex infideli et peccatore in statum justificationis (renascentiae) complectitur aversionem cogitationis et voluntatis a malo et directionem ad bonum supremum (ad vitam aeternam, remunerationem, poenam . . .) — secundum quod cogitatio et voluntas per se (naturaliter), licet negative, ad gratiam dispositae sunt. Si tamen dicatur absque gratia hominem nihil boni efficere posse Deoque placere, id affirmatur speciali respectu ad finem supernaturalem, ad quem homo destinatus est. Ad naturalem finem quidem homo de facto non est destinatus (ordo naturalis finis vitae non existit, sed supernaturalis dumtaxat), attamen talis destinatio est fundamentum reale religionis sensu objetivo, non vero subjectivo, de qua agitur, cum de quaestione disputamus, qua ratione homo religioni supernaturali respondeat. Haec autem »responsio« potest fieri cognoscitive et volitive fundamento religionis naturalis — iterum quidem non absque gratia praeveniente. Talis naturalis responsio (religiositas) non est aliquod »minus« relate ad supernaturalem religiositatem, quamquam dispositionem ad primam gratiam vocavimus negativam, notum enim est id significare: quatenus homo non habet potentiam neque exigentiam adipiscendi gratiam, sed eam esse gratuite datam — ubi homo sua facultate impedimenta eliminat. Eatenus autem jam religiosus est, nam ethice (naturaliter) bonus. Cum primum aliquis capax est scire suos actus objective et finaliter honestos esse, eo ipso naturaliter moralis est, agnitio autem divinitatis talibus actibus characterem religiositatis naturalis confert. Verum quidem est, Deum ne infidelibus quidem gratiam supernaturalem deirahere, attamen sub conditione, ut recte dispositi sint; nempe si secundum legem naturalem vivant, recepturi sunt (illuminatione) gratiam fidei in veritates salvificas et gratiam sanctificantem. Qui facultatem dijudicandi habet et per eam decernit semet ipsum ut oportet dirigere ad finem (ut ait S. Thomas), per gratiam assecuturus est remissionem culpae propterea. Modus quo gratiae actuales ad finem justificationis conferantur, non excludit apud infidelem, immo prae-

supponit religiositatem naturalem: omnes qui agnoscunt Divinitatem existere, eo ipso religiosi sunt et quidem naturaliter religiosi, et qua tales moraliter dispositi sunt, ut gratiam accipiant.

Ut anima suum habitum peccaminosum convertat in habitum justificativum, debet esse in potentia relate ad hunc habitum. Cum vero iste habitus supernaturaliter concedatur, potentia ad talem donationem non aliud est, quam capacitas ad recipiendum seu dispositio ad supernaturale. Deus animam nostram »vocat« ut fons vitae supernaturalis fiat, ipsa autem in potentia respondendi est. Quantum anima disposita est ad auditionem supernaturalem, dicimus eam in potentia obedientiali esse. Aliqui de facto respondent, alii non. Quare non? Quia adest distinctio inter potentiam passivam et dispositionem, omnes autem homines non aequae dispositi sunt ad respondendum. Quare non? Quia non sunt dispositi respondere ne legi quidem morali naturali: averterunt se a Deo. Prima ergo conditio pro responsione supernaturali est, ut convertant se ad Deum: absque transitione ad habitum naturalem religiosum non datur dispositio ad »responsionem«. Hanc transitionem praecedunt quidem gratiae actuales et hisce quoque anima convertens correspondet, tamen gradatim: habitus areligiosus praeprimis permutandus est in religiositatem naturalem, dein vero in supernaturaliter religiosum. Qui enim Deum contempsit in lege naturali et ita gravi peccato Deo »terga vertit«, vel cui ratio in atheismum aberravit, debet praeprimis »faciem convertere« ad Deum: ratio et voluntas debent aliquid derelinquere, ut in ejus loco Deum ponant. Talis permutatio est naturaliter religiosa, nam gratia praeveniens illuminat intellectum atque voluntatem instigat mediante mundo et lege naturali. Cum anima haec incitamenta audit, fit naturaliter religiosa, supernaturaliter autem, in quantum disposita est per gratiam habitualem.

Intimam notitiam connexionis inter religionem naturalem et supernaturalem praebet nobis recte intellecta potentia obedientialis. Ex una enim parte transcendentia (gratuitas) gratiae servatur integra eo, quod in natura nulla existit exigentia ad eam, sed gratia est dumtaxat »vocatio« misericordiae et amoris Dei. Dum ex altera parte etiam ejus immanentiae satisficit eo, quod ipsa animam in sua activitate transformat.

Quo modo? In anima est capacitas gratiae non solum sensu receptivitatis passivae, sed et energiae potentialis (secundum Suarezium). In natura adest dispositio seu praeparatio ad gratiam eo sensu (dicit *Pohle*), quod Deus prius gratuite daturus sit auxilium pagano recte viventi, quam alicui alii, qui levi animo in spurcitia peccati volutatur et Dei auxilium despiciat: ad desiderosam expectationem respiciet gratia. At nonne in hac »rectitudine« et »expectatione« religio naturalis consistit?! Numquid »spurcitia peccati« et »despectus« gratiae non est naturaliter moralis habitus in relatione ad Deum?! Istud vero positive aut negative volitivum elementum intentionem religiosam nanciscitur ratione cognitionis intellectivae (naturalis) earum veritatum, quae hominibus naturaliter revelatae sunt (ad quas pertinet et lex moralis). Propterea potest dici (cum *Hettinger* et aliis), per religionem naturalem — quatenus ipsa est manifestatio facultatum naturalium (innatarum) — praeparari hominem ad religionem supernaturalem et eatenus ab hac religionem naturalem praesupponi (cf. *Gröber*, Handbuch der rel. Gegenwartsfragen 1937, 608—609).

Ex dictis tamen nequaquam sequitur caritatem Summi Boni causari ex actibus humanis, non vero ex infusione — sicut etiam ita esse ex verbis Apostoli (I Tim. 1) videri posset, cum dicat caritatem procedere »de corde puro, et conscientia bona et fide non ficta«. Attamen *S. Thomas* attentos nos facit, quod »hujusmodi actus disponunt hominem ad recipiendum charitatis infusionem« (2-2, q. 24. a. 2 ad 3), sicut et quod »timor introducit charitatem« et »fides generat spem et spes charitatem«. Certe, caritas seu »amicitia hominis ad Deum« (uti prosequitur Angelicus) non est acquisita per vires naturales, sed fundatur »super communicatione beatitudinis aeternae . . . quae est secundum dona gratuita«, tamen hisce non excluditur dispositio naturalis. Aliquis habet caritatem »ita, quod habitualiter totum suum cor ponat in Deo; ita scilicet, quod nihil cogitet, vel velit, quod divinae dilectioni sit contrarium« (ib. a. 8). Ideo »generalis jussio (Dilige) et generalis prohibitio (Non concupisces)« extendit se ad actus totius humanae vitae per modum imperii; ad caritatem reduceuntur omnia alia praecepta sicut ad finem (ib. q. 23 a

4; q. 44 a. 1; I—II, q. 114 a. 4). Per caritatem nempe ordinatur homo ad ultimum et principale bonum, quod est Dei fructio (q. 23 a. 7): »per charitatem ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem« (ib. a. 8). Ipsa est virtus, per quam actus volitivi moraliter boni constituuntur, quatenus erga Deum-Summum Bonum referuntur. Omne vero bonum, quod a finali bono abducit, cadit sub generalem prohibitionem, quia profluit ex appetitu contrario divinae dilectioni. Et praecise subordinatio hujus appetitus legi rationis significat dispositionem naturalem caritatis. Haec autem subordinatio una cum cognitione Summi Boni constituit religiositatem, quae etiam actus reverentiae divinae seu religionis qua virtutis moralis imperat. Ita autem »de dictamine rationis naturalis est quod homo aliqua faciat ad reverentiam divinam« (q. 81. a. 2), protestando divinam excellentiam et subjectionem sui ad Deum »inquantum est principium creationis, et gubernationis rerum« (a. 3).

Secundum omnia praedicta nunc patet, quo sensu potest religio naturalis esse objectum considerationis. Licet cum omni vita religiosa supernaturalis gratia connectatur (etiam extra Ecclesiam), tamen in religionibus historicis existunt elementa, quae non sunt supernaturalia — et eatenus religionem naturalem efficiunt. In religionibus historicis adsunt elementa, quae neque supernaturali neque naturali religioni conveniunt et per haec elementa illae religiones falsae sunt, quamvis in iis etiam elementa recta religionis naturalis adsint. Si religiones causa suorum falsorum elementorum omnino desinerent esse religiones, non posset fieri sermo de diversis religionibus historicis, sicut nec de scientia religionum. Cum primum in iis adest aliquid religionis naturalis, eo ipso sunt »religiones« stantibus elementis falsis. Erratum utique esset, si conceptu »religionis naturalis« omnes formae religionum historicarum quatenus inter se discrepant (et a religione naturali distinguuntur) comprehenderentur; tamen talis conceptio errata nequaquam ratio est nostrae affirmationis (ut quidam id absque fundamento praesupponunt), quod religio naturalis existat. Religio naturalis opinione nostra non est mera abstractio, sed realiter existit et quidem ex omnino aliis rationibus, quam ex identificatione religionis naturalis cum historicis phaenomenis religiosis. Cum religio naturalis correspon-

deat nostrae naturae per reales suas relationes ad Deum, ideo (en rationem!) realiter existit.

Quidam id agnoscere recusant, eo quod religio naturalis »correspondeat homini in statu naturae purae; hic autem ordo nullibi existit, ne ibi quidem, ubi homines absque ulla culpa personali sua revelationem ignorant. Ubique existit natura lapsa. Propter hunc essentialem defectum in homine non potest esse sermo sensu vero verborum de religione naturali«. Quaerimus tamen, quid significet »correspondeat statui naturae purae«? Si significaret, eam in nostra natura fundari (sicut paulo antea commemoravimus), recte diceretur, quod »correspondeat« naturae et simul cum ea existat. Si significat »statum naturae purae« non existere, quia de facto existit status supernaturalis, i. e. Deus hominibus praeordinavit finem supernaturalem et eos in ordinem supernaturalem evexit, tunc hoc sensu dicendum est Deum hominibus religionem naturalem non destinasse — et relate ad ordinationem divinam religionem naturalem non existere. Id autem significat homines non esse derelictos soli naturae suae; si enim in tali statu essent, non haberent nisi religionem naturalem, i. e. relationes naturales ad Deum (causam et finem) essent unica norma vitae religiosae. Id de facto non obtinet et hic status naturae purae est »mera abstractio«, sicut talis abstractio est ordinatio divina, ut omnes homines in religione naturali permanerent: omnes supernaturaliter religiosi esse tenentur. Numquid in hoc »statu naturae elevatae« religio naturalis excluditur? Id in quaestione est. Religio naturalis non est idem quod ordo naturalis, et hoc sensu falsum est dicere, quod ei »correspondeat«. Si enim ipsa identica esset cum ordine naturali (ut a Deo decreto), utique excluderetur eo, quod Deus supernaturalem religionem instituit. Tamen in hac institutione religio naturalis includitur: non enim licet dicere relationes naturales ad Deum (propter ordinem supernaturalem) nullimode remansisse eo, quod ipsae solae non remanserunt. Per ordinem supernaturalem accesserunt (in ordinatione divina) etiam aliae relatione hominis ad Deum: supernaturalis finis locum naturalis occupavit, media autem supernaturalia compleverunt naturalia, sicut et causa naturalis (ratio et voluntas) completur seu perficitur gratia supernaturali. Eo quod homo a supernaturali religione deciderat, non in eo »defectus essentialis« ex-

ortus est eo sensu, ut incapax veritatum rationalium de Deo et de naturali lege morali evaserit. Homo ergo per naturam suam capax est religionis et ipsa in historia de facto manifestabatur. non obstantibus diversis formis, quae ad religionem naturalem non pertinent. Hisce non dicitur tantummodo religionem naturalem apud illos homines extitisse, qui religionem revelatam (supernaturalem) ignorabant: etenim eos quocumque supernaturalis gratia »ducit«. Attamen haec supernaturalis ductio non significat homines fuisse religiosos eatenus tantum. quatenus supernaturalem gratiam habuerint, ita ut »recto sensu verborum de religione naturali sermo esse non possit«. Ejus »rectus sensus« (significatio) est exprimere reverentiam erga Divinitatem, haec autem potest esse (et erat) naturalis, i. e. fundamento rationalis conceptus de Divinitate (Deo). Haec veneratio non destiterat esse naturalis eo, quod homines ad supernaturalem ordinem destinati sunt et quod etiam naturaliter religiosum hominem »gratia ducit«.

6. Dispositio divina de fine hominis et omnium quae ad finem sunt, constituit itaque ordinem vitae humanae. Natura rationalis per se jam ordinata est ad possessionem Dei seu unionem beatificam cum Deo — mediante eius facultatibus (ratione et voluntate) et fundamento legis naturalis. Jamvero hic ordo naturalis realiter non existit ipse solus, sed includitur in ordine supernaturali. Certe non ita, ut modus ultimae unionis cum Deo simul sit naturalis et supernaturalis, sed ea quae sunt ad unionem remanet partim naturalia et ita supponuntur ad activitatem supernaturalem. Ex parte naturali remanet ad finem supernaturalem assequendum natura ipsa cum facultatibus (ratione et voluntate), dein harum activitas (= medium) cum concursu naturali, et lex naturalis. Haec omnia inducuntur in elevationem supernaturalem ita, ut natura sit deiformis per gratiam sanctificantem, facultates vero per virtutes infusas et dona Spiritus sancti, earum autem exercitium elevetur per concursum supernaturalem (gratiam actualem), et supra legem naturalem accedant positiva praecepta. Ex compositione intima elementorum naturalium cum supernaturalibus resultat ordinatio ad finem supernaturalem (= consortium divinae naturae in visione beatifica).

Nunc religionis sensus clarius apparebit. Ipsa est vitalis conjunctio cum Deo. »Vitalis« per rationem et voluntatem. Itaque duo elementa constituunt religionem: rationalis cognitio veritatum de Deo, et voluntas subordinata legi divinae. (Qua tertium elementum accedit cultus externus.) Prima et fundamentalis cognitio rationis de Deo attingit ejus essentiam in quantum est supremus Dominus vitae humanae et totius mundi. In hac cognitione homo perspicit suam relationem cum Deo, quam agnoscit et exprimit eliciendo primum actum religionis: submissionem, conscientiam propriae contingentiae, adorationem excellentiae supremae. Secunda veritas quae immediate ex prima profluit, exprimit Dei beneficentiam, a qua nobis omne bonum dimanat, et ita evocantur actus religionis: gratiarum actio et petitio. Cognoscendo deinde legislatorem moralem, perducitur homo ad actum poenitentiae et alios actus morales, qui religiosi fiunt per intentionem ad Deum legislatorem. Cognoscendo, denique, Deum uti finem seu summum bonum vitae propriae, homo in omnibus suis actibus religiosis dirigitur ad Deum — motus amore, qui totam praxim religiosam informat qua ejus principium seu anima. Haec omnia componentia religionis, ejus naturalem indolem constituunt.

